

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Gebri Arabis Chimia

Geber

Lugduni Batavorum, 1668

De Medicinis in genere. Cap. XII

[urn:nbn:de:bsz:31-95581](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-95581)

fusionem cum ignitione adducente. Ex his igitur nos expedit ad medicinas transire, cum manifestis experientiis diversarum ponentibus nobis medicinarum causas inventionis; & quid diminutum relinquamus; & quid ad complementum deducant.

De Medicinis in genere.

CAP. XII.

Probavimus igitur ex meis sermonibus spiritus corporibus magis assimilari & uniri, per hoc quod videmus eos magis corporibus amabilia quam aliqua alia in natura. Per hoc enim adductum est nobis inventione veridica hos spiritus esse corporum alterationis medicinam veram. Ideoque omni quo potuimus ingeniorum modo, nos ipsos exercuimus; ut per illos imperfectorum unumquodque corporum, mutatione firma & vera, in perfectum lunare & solare transformemus corpus. Quamobrem ex jam dictis spiritibus medicinam diversam ex diversa alterandorum intentione, creari necesse accidit. Cum sint igitur duplicis generis alterabilia; scilicet, argentum vivum perfectione coagulabile, & a perfectione diminuta corpora, & hæc quidem multiplicia. Alia quidem dura ignibilia: alia vero mollia non ignibilia. Dura quidem ignibilia, ut Mars & Venus mollia

mollia vero ut Jupiter & Saturnus: Necessesse est igitur & medicinam similiter perficientem similiter multiplicem esse. Alia etenim eget argentum vivum medicina, illud coagulante & perficiente: Alia verò corpora transformanda. Item aliâ egent dura ignibilia, ut Venus & Mars: alia verò mollia non ignibilia, ut Saturnus & Jupiter. Hæc itaque utraque utriusque generis cum ad se invicem differant in natura, similiter diversa egere medicinâ, necessario accidit. Vnius etenim generis Mars & Venus duricie est: in speciali tamen quadam proprietate differunt. Est enim hic non fusibilis: illa verò sic fusibilis. Item hic quidem ex toto lividus & immundus: illa verò non. Item hic quidem albedine fusca: illa verò rubedine impura, & quidem viriditate participat: quæ omnia in medicina diversitatem ponunt. Ideoque alia quidem Mars, alia verò Venus medicinâ perficitur: Et hic quidem ex toto immundus est, illa vero non: Et hic quidem quadam albedine fusca: illa vero rubedine & viriditate participat, quæ in medicina diversitatis necessitatē imponunt consimiliter. Alterius autem generis, molliciei corpora sunt, scilicet Jupiter & Saturnus: cum hæc similiter differant, diversa medicinâ similiter egere necesse est. Est enim hic quidem mundus, scilicet Jupiter: ille verò

non. At verò & hæc quidem mutabilia omnia, nunc lunaria, nunc solaria efficiuntur corpora. Ideoque necesse est uniuscujusque duplicem medicinam fore. Unam quidem rubeam in citrinum mutantem, scilicet in verum solare corpus. Alteram verò albam, in album lunare corpus mutantem similiter. Cum ex quatuor igitur imperfectorum corporum unicuique duplex medicina adinveniat, solaris videlicet & lunaris, octo in summa erunt medicinae omnes, corpora perficientes. Perficitur & similiter argentum vivum in solare & lunare: ideoque & medicinae alterantis illud duplicem differentiam habere contingit. Decem igitur erunt omnes medicinae quas invenimus cum instantia laboris, ad cujuslibet imperfecti alterationem completam. Verum itaque cum diuturni laboris instantiâ, & magnæ indagationis industriâ exercitati sumus: & excusari volumus ab inventionis labore harum decem medicinarum secundi ordinis per beneficium unius medicinae. Et invenimus inventionem longam, nec non & laboriosam, maximè multorum sumptuum interpositione, & cum experientia veridica medicinam unam, quae quidem durum mollescit, & molle induratur corpus, & fugitivum figitur, & illustratur omne fœdum splendore inenarrabili, etiam eo qui supra naturam consistit. Ideoque

que

que omnium harum medicinarum expedit
 singulo sermone adducere narrationem &
 seriem suarum compositionum cum causis
 suis & manifestis probationum experien-
 tiis. Primum igitur medicinarum decem
 seriem narrare; & dehinc quidem corporum
 omnium: Deinde verò argenti vivi; dehinc
 verò & ultimò ad perficientis magisterii
 medicinam transeundum. Cum tamen in
 casu præparatione indigeant imperfecta,
 ideo ne propter artis insufficientiam seu
 detractionis ipsius mordeamur ab invidis;
 afferamus imprimis narrationem de im-
 perfectorum corporum præparationibus,
 omnium earum inventionis causas po-
 nentes: quibus præparationibus ex nostro
 artificio efficiantur congrua, & perfectio-
 nis albedinis & rubedinis in unoquoque
 gradu medicinam possunt suscipere & ab
 eadem perfici. Dehinc verò ad agenda me-
 dicinarum omnium narratio sufficiens &
 congrua.

*Est supplementum Capitis antegressi.
 Unicuique imperfectorum corporum
 suam medicinam esse adhibendam.*

C A P. XIII.

EX jam ergo à nobis narratis sermoni-
 bus apparet quid superfluum, quidve
 diminutum natura ex suis operibus in cor-
 porum